

ideoq; canere utriq; dicuntur. Sic enim *Homerus*: μήνιν
ἀείδει *Ἰσά.* & *Virgilius*: Arma virumq; cano. Astrologia
 tota in Poësi, ut & Geographia, locum habet, scetet *Home-*
rus noster exemplis, *Virgilius* & alii qvamp plurimi, ut nulla
 demonstratione indigeat. Physiognomiam quoqve in
 Poësi esse, notum. Tali enim pectore *Agamemnon*, talem
 animum indicat: tali capite *λωβητῆρ καὶ ἐπεσβόλῃ*. *Ther-*
sites,

- - quo non sceleratior alter
 Venerat ad Trojam - -

talem naturam ostendit. Monstrōsi enim homines mon-
 strosas & vitiosas designare actiones, evincunt *Sam. Fuchsius*
 in *Metaposc.* & *Alii*:

- - sic prorsus in ipsâ
 Frante, velut speculo, mentis imago patet.

Addit *Barthol. Lombardus Veronenſis*, vitæ mores, institutio-
 nes in Politicâ, Oeconomicâ, publicarum privatarumqve
 vestigia quædam in Poësi: domi forisq; bello & armis, pace
 & legibus, Ducum, Consiliariorum, Virorum, uxorum, pa-
 rentum, filiorum, Dominorum, servorum officia ac munera.
 Prout hæc omnia *Latina Siren, triplex Apollo, Virgilius* in divi-
 nissimo suo opere nobis expressit, dum introduxit *Virum*
 quendam, qui pietate & fortitudine præclarus, parentibus,
 Heroe; Dea; dirutâ patriâ,

Matre Deâ monstrante viam datâ fatâ sequutus,

In Italiam alienam terram, adversis actus terrâ mariq; casti-
 bus, ibiq; bello vexatus, urbem tandem condidit. Hæc,
 inquit prædictus *Lombardus*, summa fabulæ; quæ postea
 ἐπεισοδίοις introductis amplificatur. Primum enim Gram-
 maticè loqui necesse est: ex Logicâ distinguere & judicare:
 ex Musicâ suavitatem inducere: Rhetorica in usum venit
 personarum maximè colloquentium causâ: Naturalis di-
 vina-